

Peter Sasse

**Rectore Academ. Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino
Friderico, Principe Hereditario Meclenbvirgico ... Festvm Angelorvm
Anniversarivm Pie Celebrandvm Civibvs Academicis Indicit, Gratam Ministerii
Angelorvm Memoriam**

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876714149>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1751 mich.

M-1256.^{313.}

Mich. 1757.

RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE
AC
DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDITARIO MECLENBURGICO,
VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE SVERINI,
TERRARVM ROSTOCHIENSIVM AC
STARGARDIENSIVM DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

FESTVM ANGELORVM ANNIVERSARIVM
PIE CELEBRANDVM

CIVIBVS ACADEMICIS

INDICIT,

GRATAM MINISTERII ANGELORVM MEMORIA

IPSI

COMMENDANS,

ACADEMIAE PRO-RECTOR

PETRVS SASSE,

S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. CONSISTORII DVCI

CONSILIARIVS AC FACVLT. THEOL. HODIE DECANVS.



ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SERENISSIMI DVCI AVLICI
& ACADEMIAE TYPOGRAPHI

M. 1256 313



Quod solemnia inter Christianorum festa recurrit hodie festum MICHAELIS Archangeli, non modo in ecclesia peragimus, sed & Programme hocce percelebramus, nullum alium in finem, quam vt insignia DEI beneficia, quae per Angelos suos in nos confert, magis innotescant, & illorum recordatio mentibus altius infixae, iustos ad pietatem stimulos post se relinquat. Eminent inter illa & summam reliquorum continet, officium illud S. Michaelis Archangeli & beatorum Angelorum, quo iussu Supremi Domini eiusque ductu clementissimo, ecclesias Christianorum perambulantes, omnia quae turbidam in iis obtinent faciem, suauissima ratione tranquillat; id quod emphaticis descriptum verbis, variisque doctrinis ac solatiis instructum nobis reliquit ZACHARIAS Cap. I. comm. 8. 9. 10. & 11. *Vidi*, (inquit) *per noctem & ecce vir equitans super equum rufum, & ipse stans inter myrteta, quae erant in profundo, & post eum equi rufi, fului, (resplendentes, orientis solis colorem imitantes) & albi. Et dixi: (intellecturus mysterium & quaerens) Qui sunt illi, Domine mi? Et dixit ad me Angelus loquens in me (collocutor meus & orator praefens ac futurus) Ego ostendam Tibi, quinam illi ipsi. Et respondit (ex promisso dato) ille ipse vir stans inter myrteta (equo rufo insidens eoque loco manens) & dixit: Illi sunt, quos misit Dominus ad ambulandum in terra. Et responderunt (coelestes illi Equites in rufis, fuluis, albis equis figurati, antecessori Equiti) Angelo Domini stanti inter Myrteta & dixerunt: (Immo nos) perambulauimus terram & ecce tota terra est sedata ac quieta (i. e. quietissima). Vir ille insidens equo rufo idemque opitulatur stans inter Myrtos in voragine, seu Iudaeos in Babylone, CHRISTVS est, vindex Sionis captivae cruentus, excandescens in hostes Sionis & horum debellator, adparens in forma Viri, agentis Ducem inter Archangelos atque Angelos supremum, in praeludium certissimum naturae humanae in plenitudine temporis*

poris adsumendae, & in manifestissimum documentum subie-
 ctorum ipsi etiam secundum humanam naturam tam Archang-
 gelorum quam Angelorum & Angelicorum exercituum (Ephes.
 I, 20. & Petr. III, 22.). Adparuit autem *insidens equo rufo*, tan-
 quam Vir belli (Exod. XV, 3.) siue Bellator omnium potent-
 tissimus ad ineundam cum Satana pugnam & omnibus illius
 phalangibus atque infidelium focis longe difficillimam, & ad
 obsignandam in fidelibus victoriam hostium gloriosissimam,
 (Esa. LXIII, 1. sqq. Apocal. XIX, 11. sqq.) Adparuit *stans in-
 ter Myrteta, quae erant in profundo*, ad insinuandum ecclesiae,
 quae & odoris suauitate & fructuum utilitate, & umbrae com-
 moditate, Myrteto similis est, in profunditate cuiuscunque
 miseriae auxilium, & in profunditate hostilis inuasionis praesi-
 dium firmissimum. Adparuit denique in comitatu *equitum*, par-
 tim *ruforum*, partim *fuluorum*, partim *alborum*, ad designandos
 Archangelos, Angelos & Angelorum exercitus, qui parati sunt
 tum ad exercendam in Myrteto Ecclesiae aduersus hostes vindi-
 ctam, rubeo & splendido colore repraesentatam, tum ad infe-
 rendam ecclesiae ab hostibus pressae, & fere oppressae pacem
 & laetitiam, albo illo colore delineatam; Exercitus item illos,
 ordine, robore, pugna & celeritate praepotentes, quos *emisse
 Dominus, ut perambulent terram omniaque in eadem*, repressis Sa-
 tanae molitionibus ac turbis, *pacata reddant & tranquilla*. Quem-
 admodum enim Reges & Principes hinc inde dispositis equis
 cursores suos emittunt, qui in res & statum subditorum, aut
 vicinorum, inquirunt, ut sic consilia rectius disponere sibi que
 & subditis consulere possint; turmas item equitum bellicorum,
 quae per totum proficiscuntur regnum, per totum Ducatum &
 per omnes eorum prouincias, ut latrocinia cohibeant tristissima,
 & laetam subditis praestent incolumitatem; ita DEVS quoque,
 licet omnia ei sint praesentia, Angelorum ministerio utitur,
 eosque ceu ministros prouidentiae suae & tutelae adhibet, ut
 Majestatem suam & gloriam eo magis homines doceat, imbecil-
 litati ac diffidentiae eorum per infinitas Angelorum custodum
 myriades succurrat, Ecclesiam suam ab infernalis exercitus la-
 trociniis tueatur ac defendat, eamque ab omnibus periculis
 liberam

liberam, & incolumitate omnigena felicem conferret. Non licet in praesenti exquisitis illud ipsum comprobare documentis, & in numerum redigere ea, quae sunt innumerabilia exempla eorum, qui Angelorum perambulantium ministerio, tranquillitate coelesti locupletati sunt vel eidem restituti; neque ad exemplum descendere populi Israelitici, cuius a iugo Babylonico liberationem & Hierosolymitanae reaedificationis tranquillitatem locus noster Zacharianus praedixit. Certe, qui exactae vitae suae cursum scrutantur & adtendunt, quomodo ex periculis nonnunquam eluctati sint, quomodo praeter opinionem euitarint Diabolorum laqueos & insidias, quomodo casus aduersos, qui vitae exitum secum trahere videbantur, praeter expectationem euaserint; dubium non est, quin vnusquisque eorum doctrinae Zacharianae veritatem, propria experientia comprobata, manu quasi adprehendat. Custodit nos equidem omnino manus Altissimi, qui custos est seu seruator hominum Iob. VII, 20. de quo cum Psalte debita cum animi gratitudine ex Psal. CXXI, 4. sqq. gloriari possumus: *Ecce non dormitabit, neque dormiet custos Israelis. Iehouah est custos tuus; Iehouah umbra tua super manu dextrae tuae; interdum sol non percutiet te, aut luna in nocte. Iehouah custodiet te ab omni malo; custodiet animam tuam. Iehouah custodiet exitum tuum & introitum tuum, ex nunc & usque in seculum.* Veruntamen, sicut alias in regno naturae pariter ac gratiae Numen sapientissimum per causas secundas, vel organicas vel ministeriales, hunc in finem ordinatas, agit ac operatur; ita nec minus in remouendis dispellendisue aduersitatibus Angelorum utitur opera, qui propterea *spiritus administratorii* dicuntur, *missi in ministerium propter eos, qui hereditarij sunt salutem* Ebr. I, 14. Quod idem & alibi facer Codex testatur, veluti Psalm. XXXIV, 8: *Castrametatur Angelus Iehouae circa timentes ipsum & liberat eos.* Et iterum Psal. XCI, 11. 12.: *Angelis suis praecipiet, (Angelorum Dominus, DEVS) de te, ad custodiendum te in omnibus viis tuis; super manibus portabunt te; ne forte impingas in lapidem pedem tuum.*

Sed hoc quicquid est perambulationis Angelicae, non tribuamus nostrae dignitati, non vlli humano merito, sed in-
 carnata

carnationi Filii DEI, Viri illius Myrtacei, ceu fructum laetifimum feramus adceptum, qui in terra quidem olim, rufo infedit equo, iustum praelium cum diabolo, omnibusque eius Angelis & fociis decertaturus, sed albo in coelis infidet equo, infinita cum gloria atque potentia ad dexteram DEI regnans & in aeternum regnaturus: cuius ex mandato Archangeli aequae ac Angeli boni desiderio flagrant ac gestiunt Ecclesiae singulorumque fidelium tranquillitatem, commodum & salutem procurare. Elegantissimis id olim depraedicauit verbis AVGVSTINVS Lib. Soliloqu. C. XXVII. *Diligunt nos sanctissimi illi Spiritus concives suos, per quos ruinae suae scissuras instaurari expectant; magna cura & vigilantissimo studio adsunt nobis omnibus horis & locis succurrentes & providentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & Dominum nostrum; adsunt nobis vigilantibus et ambulantiis, comites; laborantiis adiuvantes; dormientiis, custodes; Orantiis, referentes; poenitentiis, tripudiantes; gaudentiis, congaudentes; patientiis, compatientes; pugnantibus, erigentes; & vincentiis, coronantes.* Quo excitato tamen exemplo, nemo intempestivae inferet, me, & in denominandis Angelorum ministeriis specialibus, modo laudato doctore ecclesiae primitivae calculum addidisse. Tantum enim abest, ut hominibus orantiis Angelos adiungamus referentes, ut potius id, qua adsertum, Scripturae testimonium destitutum negemus. Nouimus enim Pontificios in Litanias suas Angelis tribuere, quod preces nostras in conspectum DEI adferant: Ihr heiligen Engel, die ihr das Gebeth vor Gott bringet. Enimvero, quid est, quod illos moueat? Num forte DEVS noster remotissimus est a consortio hominum, ut internunciis opus sit, qui desideria nostra ipsi exponant? Num instar legis aut Principis mortalis occupationum multitudine ita defatigatur DEUS noster, ut ministri intimioris admissionis, supplices libellos nostros exhibeant & gratiam atque clementiam ipsius nobis concilient? Dicitur quidem Apoc. VIII, 4: *Ascendit fumus suffituum cum precibus sanctorum e manu Angeli ad conspectum DEI.* At, quis hicce est Angelus? Nullum alium intelligere possumus, quam Angelum illum foederis, qui semetipsum tradidit, pro nobis oblationem

ac victimam, DEO in odorem bonae fragrantiae Eph V, 2. In quo nos adcepti facti sumus coram DEO Cap. I, 6. Quemadmodum itaque hic dona adcepit pro hominibus, ita etiam iuxta Apoc. VIII, 3. ipsi dati sunt suffitus multi, ut offerret cum precibus sanctorum omnium super altare aureum, quod, iuxta analogiam fidei, sic exponendum est, ut virtute ac valore meriti sui gratas & adceptas redderet coram DEO sanctorum preces, quae non, nisi intuitu huius Mediatoris DEO placere possunt. Consequenter ascendit fumus suffituum cum precibus sanctorum e manu Angeli i. e. Christi, ad conspectum DEI. Absit itaque, ut per creatorum Angelorum ministerium desideria nostra ad DEVM deferri cupiamus. DEVS intelligens ipsas cordium nostrorum cogitationes, quique nobis est praesentissimus in omnibus nostris necessitatibus, & auxilia promisit paratissima; nullibi vero nos ablegavit ad Angelos; iubet potius, ut ipsum imploremus in omnibus nostris adversitatibus. Sic enim ipsum legimus mandatum diuinum Psal. L, 15: *Inuoca me tempore angustiae, eripiam te, ut honore adfacias me.* Et quis orantes certiores reddet Michaelem, Raphaellem, Gabrielem, Sanctos Seraphinos, sanctos Cherubinos, sanctas Thronos, sanctas potestates, sanctas virtutes, sanctos principatus, sanctos Archangelos, sanctos Angelos ipsi adesse? Num omnipraesentes sunt Angeli? Num omniscii? Num tot per vniuersam ecclesiam existentes orantes exaudire possunt Angeli? Vide. ceteroquin Cel. JACOBUS ODE *Comm. de Angelis*, ad quem & lectorem ablegatum volumus.


Adgnoscamus igitur CIVES O. O. HONORATISSIMI deuota humilitate, humillimaque cum deuotione, beneficium illud, per Angelos in nos collatum saluberrimum, & Domino dominantium potestatum clementissimo & Angelorum exercitus Regi supremo, gratias, quas mortales possumus, agamus maximas pro ministerio Angelorum, in promouenda tranquillitate multo praestantissimo. Confugiamus ad benignissimum pacis datorem, statorem ac vindicem, qui mortalibus nobis, Angelos immortales, nobis peccatoribus, sanctos vigiles, & terrenis nobis coelestes addere voluit custodes, & si quae
concla.

conelamatissimis his temporibus, exoriantur turbae, in doctrina
Euangelica periculossimae, quietisuum eidem praesidium,
Ducis Michaelis & reliquorum Angelorum bonorum subsidio
circumuallatum, religiosissimis commendemus precibus. Pro-
bemus nos ita Angelorum Domino, probemus nos Angelis ip-
sibus, ut si quae in vita turbae obuenant molestissimae, mini-
sterio fruamur, vitae custodum, qui turbulenta discutiant mo-
lestias, vitam reddant undique tranquillam & vitae officium
omnibus ex partibus tutum conseruent. Addicamus con-
silia nostra & opera auctori quietis nostrae gloriosissimo, & du-
ctori sapientissimo, ut si quae in fortuna obiiciantur nobis
impetus aduersae fortunae impetuossissimi, promotores emittat
quietis nostrae fortissimos, qui impetus illos disiiciant, omnes
omnino fortunae vires, si non ad voluntatem, certe ad utilita-
tem & salutem nostram dirigant duce Ministro, sancto Michaeli,
& Magistro, Saluatore gratiosissimo, finemque iis imponant ex-
optata tranquillitate beatissimum. Gaudeamus summopere de
inexpugnabili illo Angelorum pacis vincentium propugnaculo,
firmemus illud sincera pietate, & indefinente obfirmemus ora-
tione, ut in pugna cum validissimo Duce Angelorum omnia
turbantium, ipsoque omnia turbante angelico exercitu, prae-
ualeamus sanguine Agni, verbo testimonii & amore victoriae
Christi aeternae, cum Michaeli, Archangelo, Angelorum pro
tranquillitate militantium Duce potentissimo, & Angelis ipsis
pro eadem militantibus, Epiniciam canamus dulcissimum
Principi victoriae nostrae & pacis supremo, CHRISTO, Do-
mino nostro inuisibilissimo, atque sic gaudium excitemus in coelo
gaudiorum omnium optimum, & sine dubio, maximum. Ad-
est nunc, CIVES HONORATISSIMI! adest, inquam,
tempus exercendi tranquillitatem, ad quam vocati sumus, iu-
cundissimam & salutiferam: adest tempus seminandi, in quo
disseminandae sunt pro viribus a DEO concessis virtutes An-
gelorum quietissimorum ornatisimae, pura in DEVM religio,
integritas vitae sanctae, serua animi poenitentia, laus DEI o-
perosa, & quae sunt reliquae DEO nos gratos reddentes & An-
gelis similes. Aderit suo tempore messis desideratae toties tran-
quil-

quiescentis sempiterna, quam Pater nobis coelestis praeparavit,
Filius, Iesus Christus promeruit, Spiritus Sanctus, signator obfi-
gnavit, perficiendo in extremo die ministerio Archangeli Mi-
chaelis et sanctorum Angelorum, in gloriam nominis diuini &
Numinis in beatitudine aeterna beatissimam & Filiorum DEI
libertatem, turbis omnibus in omni aeternitate absolutam. An-
geli enim portatores boni, qui portarunt nos, verae tranquil-
litatis studiosos, in hac vita in vias DEO gratissimas, porta-
bant nos sub finem vitae nostrae, & sub consummationem
saeculi colligent pios in finem Abrahae placidissimum, quo
Angelis aequales, tranquillitatis omnigenae inexhaustum fon-
tem, perfecta intuebimur notitia, amore amabimus consum-
matissimo & Angelico intermixti exercitu, angelicis celebrabi-
mus laudibus, habitantes in domiciliis pacis inturbatis, habi-
tationibus maxime securis, & tranquillitate corporis & animi,
nullo vnquam tempore, nullo impedimento
interrumpenda.

P. P. SVB SIGILLO
PRO-RECTORATVS ACADEMICI
DIE XXIX. SEPTEMBRIS A. C. clvcccli.





conclamatissimis his temporibus, exoriantur turbæ, in doctrina
Euangelica periculossimæ, quietissimum eidem præsidium.
Ducis Michaelis & reliquorum Angelorum bonorum subsidio
circumvallatum, religiosissimis commendemus precibus. Pro-
bemus nos ita Angelorum Domino, probemus nos Angelis ip-
sibus, ut si quæ in vita turbæ obueniant molestissimæ, mini-
sterio fruamur, vitæ custodem, qui turbulenta discutiant mo-
lestias, vitam reddant vndiquaque tranquillam & vitæ officium
omnibus ex partibus tutum conferent. Addicamus consilia
nostra & opera auctori quietis nostræ gloriosissimo, & ductori
sapientissimo, ut si quæ in fortuna obiciantur nobis
impetus aduersæ fortunæ impetuossimi, promotores emittat
quietis nostræ fortissimos, qui impetus illos disiciant, omnes
omnino fortunæ vires, si non ad voluntatem, certe ad vtilitatem
& salutem nostram dirigant duce Ministro, sancto Michaeli,
& Magistro, Salvatore gratiosissimo, finemque iis imponant ex-
optata tranquillitate beatissimum. Gaudeamus summopere de
inexpugnabili illo Angelorum pacis vincens propugnaculo,
firmemus illud sincera pietate, & indefinente obfirmemus ora-
tione, ut in pugna cum validissimo Duce Angelorum omnia
turbantium, ipsoque omnia turbante angelico exercitu, præ-
ualeamus sanguine Agni, verbo testimonii & amore victoriæ
Christi æternæ, cum Michaeli, Archangelo, Angelorum pro
tranquillitate militantium Duce potentissimo, & Angelis ipsis
pro eadem militantibus, Epiniciam canamus dulcissimam
Principi victoriæ nostræ & pacis supremo, CHRISTO, Do-
mino nostro inuictissimo, atque sic gaudium excitemus in celo
gaudiorum omnium optimum, & sine dubio, maximum. Ad-
est nunc, CIVES HONORATISSIMI! adest, inquam,
tempus exercendi tranquillitatem, ad quam vocati sumus, iu-
cundissimam & salutiferam! adest tempus seminandi, in quo
disseminandæ sunt pro viribus a DEO concessis virtutes An-
gelorum quietissimorum ornatisimæ, pura in DEVM religio,
integritas vitæ sanctæ, seria animi poenitentia, laus DEI o-
perosa, & quæ sunt reliquæ DEO nos gratos reddentes & An-
gelis similes. Aderit suo tempore messis desideratæ toties tran-
quil-

